



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

34. Quando teneatur implere, qui contraxit sponsalia, nullo praefixo tempore, & termino? Ex p. 3. tr. 4. r. 244. aliàs 245. ibid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

contractus humanus, & Sacramentum sensibile.

2. Sed ego non recedo à negativa sententia, quam tueri Sanchez de *Matrimonio lib. 4. disp. 23.* Gutierrez, *cap. 13.* Bossius, *cap. 3. §. 39. num. 167.* quia Textus in *cap. unico de Sponsal. in 6.* loquitur tantum de parentibus, & verè non videtur similis ratio: Vnde si tutor contraheret pro suo minore tacente, requiretur, vel expressus consensus, vel ratihabitio per aliquod aliud signum. Et contra Doctores superius citatos dicendum est non esse sufficiens signum consensus in sponsalia & Matrimonium, si persona extranea respondeat pro Contrahentibus, vt tenet me citato Leandrus de *Sacram. tom. 2. tract. 9. disp. 1. q. 50.* & alij penes ipsum, & penes Sanchez: Quia ius Canonicum tanquam quid speciale id de parentibus asserit, innuens à contrario sensu secus esse in Extraneis: Tum quia ratio curæ & dilectionis paternæ, & obedientiæ filiorum erga parentes, dum parentes pro filiis presentibus, & tacentibus contrahunt, & ius præsumit filios tacite consentire, non habet locum in extraneis; ac prouide licet taciturnitas dum parentes contrahunt, habeatur pro sufficienti signo taciti consensus, non reputabit tamen, dum extraneus id facit, & pro alio pro quo extraneus responderet, & consensum exprimit, præcesserit, quod vna cum subsequente taciturnitate indicet consensum expressum, vel tacitum; vel nisi appareat clarè ei pro quo responderet, & contrahit, in eius commodum, & fauorem contrahere. Itaque in hoc casu puro in vtroque foro supradicta sponsalia, & matrimonium non esse valida, vide Bossium *loc. cit.*

RESOL. XXXIII.

An quando Parentes, & Tutores pro filiis, & pupillis absentibus contrahunt sponsalia, & hi postea scientes non contradicunt, censentur consentire? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 270. alias 271.

§. 1. Prima opinio affirmat, sic Henricus *lib. 11. cap. 13. n. 5.* Sotus in *4. dist. 24. quas. 2. art. 2. ad 1.* & alij. Et ratio est, quia eadem prorsus est ratio, ac quando ipsi presentibus, & tacentibus parentes contrahunt.

2. Secunda opinio negat, ita Basilius Pontius de *matrim. lib. 2. cap. 14. num. 14.* Sanchez *tom. 1. lib. 1. disp. 44. n. 16.* quia textus *cap. unico de despons. impub. in 6.* agit de sponsalibus à parentibus nomine filiorum presentium, & tacentium contractis, ideo in nostro casu non sufficit postea scientes non contradicere, sed requiritur, vt hi iam certiores facti sponsalia à patribus absentibus contracta, tacite, vel expresse aliquo signo sufficienti ratificent.

3. Tertia opinio est Ægidii Coninchi de *Sacram. disp. 21. dub. 3. n. 39.* asserentis, quòd quando hi resciscunt per aliquem ad quem non pertinet rem gestam ad eos referre, ipsos tacendo non censeri consentire, quia non tenentur huic vllò modo assentire. Quando verò id ipsis proponitur per ipsos parentes, aut curatores, si taceant, censeri consentire, quia tenentur his talia iis proponentibus mentem suam aperire, atque ita vel contradicere, vel consentire; quod censetur facere dum tacent: quare si rem ipsis proponant coram parte, sicut statim sponsalia, secus est si eam hac absente, iis proponant: tunc enim non erunt sponsalia, donec pars per ipsos minores, aut alium ab iis ad hoc destinatum cognoscat eorum consensum, eumque acceptet. Ita Coninchi. Mihi verò secunda sententia magis placet, licet alias probabiles esse existimem.

RESOL. XXXIV.

Quando teneatur implere, qui contraxit sponsalia, nullo præfixo tempore, & termino? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 244. alias 245.

§. 1. Ita respondet Sanchez de *matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 28. num. 2.* si dies appositus minime sit obligationi, nec alia conditio, non tenetur promissorem statim implere, sed tantum requiretur eo cui promissio facta est, tunc verò cum alter petit, tenetur contrahere. Ratio est, quia id generale est in omni debito absque diei præfixione, solum enim tenetur debitor à creditore requisitus, soluere, vt constat in *l. debitores presentes, C. de pignoriis.* Ita Sanchez.

2. Sed hæc opinio dupliciter Basilio Pontio de *matrim. lib. 12. cap. 6. n. 1.* vbi sic asserit: Incipit obligatio adimplendi sponsalia à momento contractus *l. in omnibus obligationibus, ff. de reg. iur.* cuius opus positum in merito docuit Sanchez, argumentum tractus in *l. debitores, C. de pignoriis,* ex quo tenetur constare debitorem non teneri soluere, nisi requisitus, quando non est debito soluendo præfixus terminus, sed id perperam ex dicta lege colligitur, vt agitur de distractione pignoris, quod creditur habere non enim valent pacta de pignore propria conditione distrahendo. At quando conuenit, ne pignus debitoris distrahatur, & perpetuam motam soluetur, faciat solemniter, ac cum testibus denunciare eodem possunt, vt pignus liceat distrahere, vt in *l. debitores, itaque perperam suam doctrinam ex dicta lege colligit Sanchez.* Quod autem attinet ad eam doctrinam, quam asserit, verum quidem est quando aliquis mutuum pecuniam dedit, nec terminum præfixit, intelligi debere necessarium aliquem terminum arbitrio iudicis, vt vile sit mutuum, alias nulla mutuatarij utilitate datum mutuum esset, si statim reponeretur, sicut etiam idem dicitur de precario. At in nostro casu longè diuersa ratio est, non enim est necessarium tempus expectandi, in quo sit vtilis promissio, est enim vtilis à principio, & vtilis adimplentio, & ita etiam alio non petente adimplenda est, nisi alter adimplentem differri ex causa postulet. Ita Pontius aduersus Sanchez.

3. Sed his non obstantibus, opinionem Sanchez probabilem esse puto, quam post illum tueri Villalobos in *summa tom. 1. tr. 12. diff. 9. num. 3. vbi sic ait:* [El que le desposo sin terminar el tiempo, que se auia de casar, obligacion tiene pudiendolo hazer commodamente, quando la otra parte lo pidere, porque assi acontece en las demas deudas, que se contraen sin señalar el termino de la paga.] Et hanc sententiam docet etiam Coninchi de *Sacram. disp. 21. dub. 1. num. 2.*

RESOL. XXXV.

Quidam contraxit sponsalia, & postea adimplere coactus, queritur an sit per censuram compellendus? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 205. alias 206.

§. 1. Hic casus frequenter solet accidere, & ad illud sic respondet Basilius Pontius de *matrim. lib. 12. cap. 6. num. 2.* si is, qui sponsalia contraxit, adimplere nolit, monendus prius per iudicem est, & si adhuc negat, per censuram compellendus est, *cap. ex literis, et 2. de sponsal.* Illud tamen addendum est, iudicem compellere debere per censuras compellensione moderata, non præcisa, si pertinax sit pars in resistendo,